Gregorius episcopus servus servorum dei Dilectis filiis Prioribus Regimini ac Comuni Terre nostre Montissancti firman. dioc. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum de summa et quantitate Quingentorum florenorum auri de Camera per vos prefatumque Comune pro talleis nobis nostreque apostolice Camere pro uno Anno finito die Octavo Mensis Novembris proxime preterita debitorum vos pro Anno predicto florenos Centum Sexaginta auri de Camera per vos ut asseritis dilecto filio Nobili viro Jacobo de Trussio commissario nostro ad hoc specialiter deputato ac dilecto filio Francisco Electo Mothonen. Thesaurario nostro similes florenos Centumquinquaginta auri per manus venerabilis fratris nostri Johannis Episcopi firman. realiter cum effectu solveritis ac solui feceritis. Nos securitati ac indempnitati vestrum ac prefati Comunis prout iustum est super hoc providere volentes vos dictumque Comune a predictis Trecentis decem florenis auri occasione talearum prefatarum pro dicto Anno solutis nostro ac Camere predicte nomine auctoritate apostolica tenore presentium quitamus absolvimus ac perpetuo liberamus. Necnon attentis pluribus dampnis que propter nos ecclesiamque Romanam passi estis reliquam summam ac quantitatem nobis solui restantem de dictis Quingentis florenis pro Anno predicto vobis ac dicto Comuni de nostra mera liberalitate ac solita clementia auctoritate prefata tenore presentium libere remictimus donamus ac plenarie relaxamus. Volentes expresse quod pro dictis Quingentis florenis auri pro Anno prefato vos aut aliquis vestrum seu dictum Comune nullo umquam tempore aliqua occasione vel causa per quemvis impediri turbari inquietari aut molestari possitis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre remissionis donationis relaxationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Gaiete viiij kl. Julij Pontificatus nostri Anno Sexto.

S. de Benevento

rc camera

Sgrauio de pesi Camerali

Gregorio XII.

1412

N.° 27.°